

ticus: quam eius auctoritatem nostra aetate, praeter Tib. Hemsterhusium,<sup>2</sup> et paucos alios, Ioh. Corn. Pauus ita sequutus est, ut hanc sententiam multis rationibus tueri, et confirmare, conatus sit. Alii vero assensisse reperiuntur Robortellio hactenus, ut dederint, atque concederint, magnam horum odariorum partem a poëtis recentibus compositam esse, qui experiri ingenii vires voluisse, et videre, si forte assenti doctrinam Teii senis hoc in genere carminum possent: sed in nonnullis tamen odariis cernere sibi visi sunt vestigia certa eiusmodi venustatis, et elegantiæ, quae, nec ingenio, nec stylo, Anacreontis indigna esset censenda. Atque hanc de istis carminibus sententiam primum superiori saeculo, et dixisse, et propugnasse, inuenio Taneguidum<sup>3</sup> Fabrum, acris hoc in rerum genere, et circumspecti, iudicii virum: qui, praeter multos alios, assensorem nactus est Ricardum Bentleium:<sup>4</sup> quem ipsum viguisse eo ingenii subacti acumine, et sagacitate, ut in libris scriptorum veterum genuina, et antiqua, facile odorari, et indagare, potuerit, eaque iudicii subtilis solertia, et firmitate, fuisse praeditum, ut adulterina, et suppositionia, a veris, et bonis, recte internoscere, atque discernere, valuerit, quis nescit? Aliis denique visum est

<sup>2.</sup> ad Aristoph. Plut. p. 483.: Extant in illis, quae nomen Anacreontis gerunt, reliquias od. 38. Sic e verbis Aegidii Menagii ad Diogen. Laërt. 1, 97. p. 56. Meib. his, inter epistolas, quae sub nomine Phalaridis circumferuntur, Ric. Bentleius in dissert. de Phalaridis epistolis p. 7. opuscc. philologg. edit. Lips. recte sibi iudicare posse visus est, virum doctissimum epistolas illas ab alio quoquis potius, quam a Phalaride, Agrigentinorum tyranno, scriptas esse putasse.  
<sup>3.</sup> Vid. Valesiana p. 128. Paris, a. 1694. 42.

<sup>4.</sup> ad Horat. 2. od. 17, 14.: Nam vt Alpheus ille — ita hic scriptor; si is est Anacreon: nam ex iis, quae sub eius nomine hodie feruntur, multa spuria sunt; aperte nimis imitatus est eundem Archilochi locum, add. idem Bentleius in ep. ad Franc. Gaconium, a Bruncquo edita ad calcem exempli odariorum Anacreontiorum Argentoratensis utriusque, p. 127. f. et p. 146. f. Atque in hac ipsa sententia fuisse video Iac. Phil. Medenbachium amoenitat. liter. c. 8. p. 45., et Bruncquium, maxime ad odarr. 35. 36. 37. 41. 48. 50.